

movebat celerime, insimulque ignea & valida irruens vulnera gravia exsiccabat, citoque solvebat tumores sanguineos atros, valde dolentes, atque semper alternis diebus omnia dissipabat, mirum visu.

§. 11. Tametsi autem celeriter ea solvebantur & exsiccabantur nulla mihi exitialis morbi erat cessatio; nulos enim ille vomitus biliosos spontaneos rupit superius ad septimum diem, nec similes fordes inferius, verum semper acutior cum impetu mihi ferebatur, fatumque minitabatur, soporem enim somnolentum die nono effudit, atque caliginem supra meos oculos quasi nebulam tenebricosam, inexcitabilis vero jacebam profundo dominus somno; id quod in tali morbo valde malignum signum est, praecipue autem grave ~~vitis~~ morbo & senio molesto afflictis; putrefactionis enim humorum signum evidens erat, omnibus quidem pariter perniciosum, senioribus autem facile grave, quibus motus debiliores, semper tardiores sunt, & hinc humores eorum putridi, glutinosi, viscidi sunt, ex quibus facile dirae inflammations oriuntur. Propterea seniores putredine exitiosa valide dormantur, faciliusque morti apropinquant quando talibus difficilimis morbis affliguntur.